

Ex innata nobis clementia in acie mentis nostre revolvimus, quod illis, qui sagwinis generositate, morum honestate, excellenti actuum probitate se aliis eminentiores ostendunt et conprobant, sumus ex officii debito plus ceteris obnoxii et astricti, sic quod eos quibuslibet honoribus et favoribus specialibus predotemus, ut eorundem benemeritorum exemplo alii ad benefaciendum et laudabiliter vivendum promptius provocentur. Proinde quia tu nobis et sacro imperio grata et accepta servicia poteris in futurum inpendere, te propter actus tue strennuitatis multiplices, conversacionem laudabilem et quamplura probitatis merita et virtutis, quibus in nostre serenitatis commendaris presencia, imperiali auctoritate constituimus, creamus et facimus comitem palatinum castri Capitii ac castrorum in Calabria Palicii^a, Sancte Agathe, Pentidaccili et Sigli necnon villarum Capitii, Cerami, Sancti Petri, Cataynum, Sancte Lucie, Rocce Mauroiohannis, Prasanachi, Leye, Pardicii, Rapani, Sancti Andree, Bauosi, Lascale, Porte Capicii, Pardi, Ruchelle, Mantipi, Casalismonati^{b.1}. Que castra seu villas unâ cum castro Capicii pro comitatu palatino tibi presentibus deputamus et tibi in feodum a nobis et sacro tenendum imperio eundem comitatum palatinum unâ cum castris et villis predictis conferimus cum banno imperiali ac mero et mixto imperio, omnibus iurisdictionibus, honoribus, emolimentis, redditibus, proventibus ac pertinentiis quibuscumque. Volentes te et heredes tuos inantea cunctis futuris temporibus iure, condicione et nomine spectabilium comitum palatinorum nominari, censi et ab omnibus reputari, ita quod universaliter quibusvis libertatibus, honoribus, condicionibus, prerogativis et iuribus, quibus ceteri comites palatini usi et gavisi sunt, hactenus de nostra augustali benivolencia dotari, gaudere et perfrui debeatis, hiis actibus dumtaxat exceptis, videlicet illegittime genitos legitimandi, iudices aut notarios publicos imperiali auctoritate creandi, tutores vel curatores dandi, quos actus nostro culmini specialiter reservamus. Mandantes universis nobilibus, civitatum communibus, villis et oppidis in limitibus et confinibus predicti comitatus palatini Capicii seu castro-

a) 'a' wohl aus 'o' corr. b) So Or.; 'ismon' auf Rasur.

1) Von den Ortschaften liessen sich, zum Theil vermuthungsweise, auffinden in Calabrien: Palizzi und Pentadattilo bei Milet; in Sicilien: Polizzi, Capizzi, Cerami, Aci-Catena und S. Lucia bei Catania, Rapano und Bauso bei Messina, Roccella im Val Demone. Die übrigen, darunter Casale Monaco, konnte ich zunächst nicht identificieren.